

*Repleti sunt omnes Spiritu Sancto  
et cœperunt loqui.*

Léctio Actuum Apostolorum

2, 1-11

- <sup>1</sup> **C**um compleréntur dies Pentecóstes,  
erant omnes páriter in eódem loco.
- <sup>2</sup> Et factus est repénte de cælo sonus  
tamquam adveniéntis spíritus veheméntis  
et replévit totam domum, ubi erant sedéntes.
- <sup>3</sup> Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis,  
sedítque supra síngulos eórum;
- <sup>4</sup> et repléti sunt omnes Spíritu Sancto  
et cœpérunt loqui áliis linguis,  
prout Spíritus dabat éloqui illis.
- <sup>5</sup> Erant autem in Ierúsalem habitántes Iudæi,  
viri religiósi ex omni natióne, quæ sub cælo est;
- <sup>6</sup> facta autem hac voce, convénit multitúdo  
et confúsa est,  
quóniam audiébat unusquísque lingua sua  
illos loquéntes.
- <sup>7</sup> Stupébant autem et mirabántur dicéntes:  
«Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galiléi sunt?
- <sup>8</sup> Et quómo do nos audímus unusquísque  
própria lingua nostra, in qua nati sumus?
- <sup>9</sup> Parthi et Medi et Ælamítæ  
et qui hábitant Mesopotámiam,  
Iudæam quoque et Cappadóciám, Pontum et Asiam,
- <sup>10</sup> Phrýgiám quoque et Pamphýliám,  
Ægýptum et partes Líbyæ, quæ est circa Cyrénem,  
et ádvenæ Románi,
- <sup>11</sup> Iudæi quoque et prosélyti,  
Cretes et Arabes,  
audímus loquéntes eos nostris linguis magnália Dei».
- Verbum Dómini.